



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Quæst. 2. Cui sit restituendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

restitutionem rei, si adhuc illam habeat, quando alterius esse deprehendit; non vero si stante bona fide res illa perit, aut in eius potestate esse desiit; & ad ea solummodo restituenda, in quibus factus est dicitur, id est ad ea qua habet ultra id, quod habiturus fuisset, si rem illam non habuisset.

Quod si, postquam deprehendit rem, quam bona fide possidet, esse alienam, illam vero domino restituere negligat; tunc si res pereat, tenetur ad restitutionem, sicut de mala fidei possessore dictum est: eo quod amplius eam bona fide non possideat. Ita Tol. Lib. 5. c. 17.

Præterea qui bona fide rem alienam possidet, potest illam præscribere aut usucapere, id est, si toto tempore ad prescriptionem à iure præfixito, bona fide illam possideat, amplius illam restituere non tenebitur: at vero mala fidei possessor nullo tempore præscribere potest, ut docet idem Tol. & ex antedictis constat.

Obligatur denique ad restitutionem is, qui rem alienam apud se iusto quidem titulo habet, sed quam iuste contra domini voluntatem divitius retinere non potest: & hac ratione quicumque habet apud se rem commodatam, locatam, vel depositam, elapso tempore præfixo illam invito domino retinere non potest, sed illi tenetur restituere, ut ex communi Theologorum sententia docet Tol. Sup. similiter qui mutuum accepit, termino constituto illudolvere tenetur; alias invito domino rem illius detinere, si restituere possit, est illicitum: unde qui sine ulla ratione diuturnas trahunt moras in soluendis debitis, aut in reddendis rebus alienis quas apud se habent, haud dubie contra iustitiam peccant; præsertim, si illi, ad quos pertinent, dilationem solutionis aut restitutionis inviti ferant, aut ex illa damnum patiantur.

QVÆSTIVNCVLA II.

Cui sit restituendum.

SANCTVS Doctor Sup. 2. 5. dicit restitutionem illi ipsi faciendam esse, à quo res accepta est, vel cui damnum illa-

illatum est; quòd si ille mortuus sit, eius hæredibus: quòd si rei illius dominus, aut eius hæredes ignoti sint, nec tempore possit deprehendi, tunc Christo dominum quem, (ut ait Apostolus *Hebr. x. Deus constituit hæredem nostrum*) in membris suis, id est pauperibus secundum mentem S. Doctoris debet fieri restitutio: & si is, qui ad illam tenetur, pauper sit, poterit de consilio pastoris, vel confessarii partem rei restituendæ, vel etiam totam illam sibi applicare, vel ex eodem consilio erogare Ecclesiis, aliis que piis locis, ut ex communi Theologorum doctrina docet Nav. Cap. 17. n. 93.

Dubitant autem Theologi, utrum, qui rem emit à fure, teneatur eam vero domino restituere etiam cum dissipatio pretii quo illam emit? & utrum licitum sit illi, ad recuperandum pretium datum, illam furi restituere. Nav. sup. respondet cum distinctione, asseritque illum, qui bona fide rem eiusmodi emit à fure, posse illi reddere, ut pretium suum recuperet; illum vero, qui mala fide, id non posse, sed ad restituendum vero domino teneri. Verum Alex. Alenf & Sylv. quos citat & sequitur Tolet. Sup. probabilius existimant, utriusque id licitum esse, si fiat, non ex animo verum dominum re sua fraudandi, sed pretium à se datum recuperandi.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quid, quando, & quo ordine sit restituendum.

DOCET S. Thomas q. 63. a. 2. id, quod iniuste ablatum est, necessario esse restituendum; id est rem eandem, quæ alterius est, & invito illo iuste retineri non potest, nisi esse reddendam, nec satisfacere is, qui solum illius valorem daret, ut observat Tolet. Sup. cap. 22. nisi in tribus casibus. Primus est cum res deperdita est, vel non est amplius in potestate illius qui restituere tenetur: tunc enim sufficit